Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1175
Quelle:
Copyright:

ergo Anglus. Floruit in confinio Sec. XIII. et XIV. gnavus *Scoti* ὑπερασπιστης, unde inter XIV. Doctores O. M. circa ejus ſepulcrum *Coloniae* nomen aeri inciſum habet. Scripſiſſe eum in IV. *Sententiarum Libros* ex *Pitſeo* etiam *Tannerus* in *Bibl. Brit. Hib.* teſtatur, quanquam rariſſima debeant eſſe Operis noſtri Exempla. Ad calcem adſcribillatum eſt difficili manu aliquarum Quaeſtionum Subplementum.

V. *fol.* 288. ſequitur Lectura in IV. *Sententiar.* hoc ingreſſu: *Circa principium quarti queritur primo vtrum in ſacramentis noue legis ſit aliqua virtus etiam influxiva ad cauſandum* &c. et fine: *penarum inequalitas predictis correſpondens.* Adjecit Scriptor: *Expleto quarto ſalutem fratri.* Item: *Iſtius opuſculi non fuit mencio facta. ſed plus vere vellem ſeruire deo.* Quaſi querentis, non reſpondere favorem quaeſitum meritis, et ſcribendi pertaeſi.

CCCCLXXXVI.

U. 429 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 120. f. per duas columnas exaratus, rubricis diſtinctus et olim a *Petro de Mautarn* Plebano in *Meigen Auſtr.* infer. pago Academiae oblatus aliud eſt Exemplar *Johannis Duns* ſeu *Scoti in L. I. et II. Sententiarum*, quorum hic *fol.* 75. p. 2. incipit. Uterque adjunctum habet *Quaeſtionum* Elenchum, ſed utriusque phraſis non raro ab Editis variat.

CCCCLXXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 428 XIV. Folior. 98. f. maj. per duas columnas exaratus, coloribus diſtinctus, et unus illorum 17. quos teſte Nota praevia *M. Andreas de Weytra* T. D. et S. Stephani Canonicus *ad Librariam Collegij ducalis inter viuos* donavit, aliud eſt Exemplar *Johannis Scoti in L. I. Sententiarum* integrum, ſed absque *Quaeſtionum* Elencho.

II. *fol.* 93. p. 2. Tractatus adjectus eſt *de vero Eſſe*, qui ita ingreditur: *Primum rerum principium me ea credere ſapere ac proferre concedat que ipſius placeant mageſtati et ad eius contemplationem eleuent mentes ueſtras* &c. Extrema pagina, quae fortaſſe nomen Autoris referebat, penitus extrita eſt. Thecam anticam veſtit Membrana quaedam Rabbinica per duas columnas eleganter ſcripta, cujus Rubrica integra incipit: הרוא אפוטרופא דהוה בשיבכותיה דר׳ יהושע בין לוי &c.

CCCCLXXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 432 XIV. Folior. 139. f. per duas columnas multis compendiis, quam labem Scholaſticarum aetas intulit, exaratus et coloribus diſtinctus ita ad calcem ſubſcribitur: *Explicit reportatio ſuper primum ſententiarum ſub magiſtro iohanne ſcoto. et examinata cum eodem uenerando doctore.* Initium eſt: *Circa prologum libri ſententiarum pri-*